



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli**

**Viegas, Brás**

**Parisiis, 1615**

Capvt Decimvmseptimvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39261**

linam. Procul sint, inquit, à conuiuio crassatuturres, & aues omnes, quibus amplissima pa-  
 erimonia auolant. D. Hieron.


Quartus Angelus effudit phialam suam in solem: & datum est illi æstu affli-  
 gere homines, & igni: & æstuaerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt  
 nomen Dei. Hæc plaga super iram infigitur: rectè namque in solem phiala ef-  
 funditur, cum ira dominatur: quia nihil magis lumen rationis obsecrat, & quo-  
 dammodo solem mētis de medio tollit, quàm ira: est enim ira furor breuis. Imo  
 Seneca tract. de ira, docet nullam esse viam expeditiorem ad insaniam, quàm  
 iram. Quo sensu dixit Paulus ad Rom. 12. *Non vosmetipsos defendentes, sed date locum*  
*ira, quasi videlicet furioso: sic enim furiosis hominibus liberum locum damus.* A  
 qua expositione non multum abhorret D. Basilius cum sic locum interpretatur.  
*Date, inquit, locum iræ quasi torrenti, qui obuia quaque impetu suo rapidissimo deuoluit.*  
 Meritò quoque subiungitur consequutum fuisse æstum, & blasphemiam, quia  
 propter iram sanguis æstuat, & efferuescit, eumque feruorem blasphemix in  
 Deum, sanctòsque consequuntur. IV. Quarta phiala super solem ira. Ira furor. Seneca. Rom. 12. 19. D. Basilius.

Quintus Angelus effudit phialam super sedem bestix, hoc est, super superbiam, y.  
 quæ sedes est dæmonis, iuxta illud Iob. 41. *Ipsè est Rex super vniuersos filios superbix.* Quinti An-  
 factum est regnum eius tenebrosum, quia tandem Deus, qui superbis resistit,  
 Iacob. 4. eorum superbiam frangit, dominatumque obscurat: & quia superbi ex  
 humiliatione incredibilem dolorem concipiunt, propterea dicuntur præ rabie  
 suæ ipsorum linguas commanducasse. Sextus Angelus effudit phialam in flumè  
 magnum Euphratem, hoc est, in libidinem, & luxuriam, quæ Euphrati flumini  
 comparatur, tum quia instar Euphratis rapidissimi fluminis magnam hominum  
 partem secum deuoluit: tum quia dulcium aquarum nomine rectè voluptas  
 carnalis exprimitur: siccantur autem aquæ fluminis, quia tandem voluptuarij  
 homines, & plurimis in hac vita tum morbis, tum aliis miseris diuexantur, &  
 sempiternis tandem apud inferos tormentis cruciantur. Denique septimus An-  
 gelus effudit phialam in ærem, hoc est, in auaritiam, quæ instar camælotis ære  
 vescitur, nec bonis, quæ possidet, vnquam fruitur. Hanc enim etiam ob causam  
 auaritia appellatur *idolorum seruitus*, ad Galat. 5. quoniam, vt ait D. Chrylostomus,  
 sicut idololatrx venerantur idola, nec ea præ reuerentia tangere audent: ita aua-  
 rus pecunias tanquam idolum veneratur, nec eas præ reuerentia audet contin-  
 gere, sed inani tantum earum aspectu delectatur. Quinti An- geli phiala in superbiam. Iob. 41. 25. Iacob. 4. Sexti Angeli phiala in lu- xuriam. Septimi An- geli phiala in auaritia ærem. Galat. 5. 20. D. Chrylost.

ARGUMENTVM.

Richardus de Sancto Victore existimat caput hoc ad quintam adhuc visionem  
 huius operis pertinere: fortasse ex eo, quòd vnius è septem Angelis habentibus septem  
 phialas plenas iræ Dei mentio fiat. Sed rectius Pannonius cum aliis hinc sextam vi-  
 sionem inchoat, in qua de damnatione meretricis magna, & ruina Babylonis disse-  
 ritur, vt patebit ex sequentibus.

## CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.


 T venit vnus de septem Angelis, qui habebant septē phialas, & locutus est mecum dicens: Veni, & ostendam tibi dānationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cū qua fornicari sunt reges terræ, & inebriati sunt, qui inhabitant terram, de vino prostitutionis eius. Et abstulit me in spiritu in desertum. Et vi di mulierem sedentem super bestiam coccineā, plenam nominibus blasphemiarum, habentem capita septem, & cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius. Et in fronte eius nomen scriptum: *Mysterium: Babylon magna, mater fornicationum, & abominationū terræ.* Et vi di mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu. Et miratus sum, dum vidissem illam, admiratione magna. Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi sacramentum mulieris, & bestie, quæ portat eam, quæ habet capita septem, & cornua decem. Bestia, quam vidisti, fuit, & non est, & ascensura est de abyssu, & in interitum ibit, & mirabuntur inhabitantes terram (quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi) vidētes bestiam, quæ erat, & non est. Et hic est sensus, qui habet sapiētiam. Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet, & reges septem sunt. Quinque ceciderunt, vnus est, & alius nondum venit: & cum venerit, oportet illum breue tempus manere. Et bestia, quæ erat, & non est, & ipsa, octaua est, & de septem est, & in interitum vadit. Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges vna hora accipient post bestiam. Hi vnum consilium habent, & virtutem, & potestatem suam bestie tradent. Hi cum Agno pugnabunt: & Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum est, & Rex regum: & qui cum illo sunt vocati, electi, & fideles. Et dixit mihi: Aqua, quas vidisti, vbi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & lingua. Et decem cornua, quæ vidisti in bestia: hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni cōcremabunt. Deus enim dedit in eorda eorum, vt faciant, quod placitum est illi, vt dent regnum suum bestie, donec consummentur verba Dei. Et mulier, quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.

COM-

# COMMENTARIUM PRIMUM EXEGETICVM.

De sexta visione Ioannis.

Imaginaria huius capituli visio describitur.

## SECTIO PRIMA.

**O**mmemorât Ioannes venisse ad se vnum de septem Angelis, qui habebant septem phialas, de quibus dictum est superiori capite, dixisseque sibi: *Veni: ostendam tibi damnationem meretricis magna, qua sedet super aquam multas, cum qua fornicati sunt Reges terra.* Tum addit apparuisse sibi huiusmodi visionem. Primò, Vidit mulierem sedentem super bestiam coccineam plenam nominibus blasphemiarum, habentem capita septem & cornua decem. Quod ait, *Mulierem sedentem super bestiam coccineam:* dubium est in Latina editione, vtrum illud nomen *coccineam* ad bestiam, an ad mulierem pertineat: Verùm ex Græco cõtextu est perspicuum non posse ad mulierem, sed ad bestiam spectare. Sic enim Græcè legim. *ἡ δὲ ἄνθρωπος ἔβλεψεν τὴν γυναῖκα καὶ τὴν θηρὴν ἐπὶ τῆς ὕδατος* Secundo, Mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro & lapide pretioso, ac margaritis. Tertio, habebat poculum aureum in manu, plenum abominatione, & immunditia fornicationis eiusdem. Quarto, In fronte eius erat nomen scriptum: *Mysterium, Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terra.* Quidam existimant nomen scriptum in fronte fuisse hoc nomen, *Mysterium:* alij, quod videtur probabilius, sentiunt nomen scriptum fuisse illud, *Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terra.* Nomen verò, *Mysterium,* appositum esse per parenthesis, vt indicetur in nomine, quod gerit scriptum in fronte, arcanum quiddam, plenumque mysterij latere. Quinto, Ait Ioannes vidisse se mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu, vehementerque fuisse admiratum. Sexto, subiungit explicatum fuisse ab Angelo sacramentum mulieris, & bestiae, quæ Angeli explicatio magnis quoque & ipsa difficultatibus est implicita. *Bestia, inquit, quam vidisti, fuit, & non est, & ascensura est de abyssis, & in interitum ibit. Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet, & Reges septem sunt: quinque ceciderunt, vnus est, & alius nondum venit, & cum venerit, portet illum breue tempus manere. Et bestia, quæ erat, & non est, & ipsa octava est, & de septem est, & in interitum valet. Decem cornua, quæ vidisti, decem Reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam Reges vna hora accipient post bestiam. Et vnum consilium habent, & virtutem, & potestatem suam bestia tradent. Et cum Agnus pugnabit, & Agnus vincet illos. Decem cernua, quæ vidisti in bestia, hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt. Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant, quod placitum est illi, vt dent regnum suum bestia, donec consummetur verba Dei. Denique vt se magis Angelus explicaret, subiunxit: *Mulier, quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super Reges terra.* Hæc fuit Angeli interpretatio, quæ adhuc interpretationem requirit.*

Dubitatio.

Duplex opinio de nomine mulieris.

Fff iij

Communis expositio de muliere sedende super bestiam coccineam commemoratur, & reicitur.

## SECTIO II.

I. **C**ommunis expositio huius mulieris, siue Babylonis nomine multitudinem impiorum accipiendam esse docet, eorumque hoc loco damnationem describi, eo quod Babylon sit confusionis ciuitas, quæ *Meretrix magna* appellatur, quod creaturam Deo præponere genus quoddam sit spiritualis fornicationis. Sedet super aquas multas, id est super populos multos, vt Angelus ipse interpretatur: quia multitudo impiorum ex omnibus gentibus conflatur. Sedet super bestiam coccineam, id est, super diabolum, qui impiorum multitudinem sustinet. Is bestie coccineæ similis dicitur propter sanctorum sanguinem, quem continuo per Tyrannos effudit. Plena est nominibus blasphemiarum, quia vbiq; gentium à reprobis nomen Dei blasphematur. Per capita septem omnes Reges impij, & idololatræ significantur. Per cornua decem omnia regna illis subiecta, vterque enim numerus vniuersitatē continet. Mulier est circumdata purpura, & coccineo ad significandam externam mundanarum rerum pulchritudinem, quam impij capiuntur: inaurata est auro, & lapide pretioso, & margaritis propter eiusmodi rerum affluentiam, quibus impij circumfluunt. Gerit in manu poculum aureum plenum abominatione, & immunditia, quia sub speciosa quadam pulchritudine mundanæ felicitatis specie, & inanis voluptatis imagine omnis generis immunditiam, atque turpitudinem, tum quæ ipsis peccatis, tum quæ peccatorum miseris & incōmodis, ipsiisque tandē apud inferos cruciatibus continetur, suis amatoribus propināt. Verum ne mulier tam pulchra, elegantique ornatu incautos, insipientesque amatores in fraudem inducat, gerit in fronte scriptum nomen, ex quo statim meretrix esse dignoscitur, *Babylon mater fornicationum, & abominationum terra*. Nam ipsum nomen Babylonis confusionem notat, meretricium autē officium turpitudinē mulieris declarat. Pānonius existimat ipsum etiā nomen, *Mysterium*, in fronte scriptum fuisse, quia nimirum opera Babylonis quibusdā sunt in fronte, quibusdā autē in mysterio: simplicibus enim mysterium sunt, quia occulta sunt eis ea, quæ à reprobis efficiuntur, latetque eos mundanæ felicitatis incōstantia, & fallacitas, at sapientibus in fronte sunt, quia cōspicua, & manifesta. Alij nomine mysterij illud indicari arbitrantur, quod à reprobis multa efficiuntur per hypocrisis, quæ mysterium continent: quoniā arcano quodā, ac secreto artificio virtutem simulent nihil minus, quàm eam adamantes. Vnde merito in fronte hypocritarum *mysterium* scriptum est: quia in omnibus eorum actionibus mysterium latet, id est, subdolum, & occultum honoris adipiscendi studium. Alij sic. Gerit mulier titulum mali operis in fronte, quia reprobi de malis, quæ agunt, gloriantur, iuxta illud Psal. 51. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es iniquitate?* & Eia. 3. *Quasi Sodoma prædicauerunt peccatum suum.* Ebria est de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu propter infinitam vim sanguinis Martyrum, quam Tyranni effuderunt.

Psal. 51. 3.  
Eia. 3. 9.

Angeli interpretatio  
de bestia.  
Ioan. 12. 31.

II. Angeli interpretatio huiusmodi est. *Bestia*, inquit, *quam vidisti, fuit, & non est.* Quoniam bestia, super quam mulier sedet, Diabolus ipse est, qui dicitur fuisse, & non esse: quoniam ante aduentum Christi dominabatur in mundo, cum ei toto orbe templa, aræque erigebantur: at post aduentum Christi de mundo per passionem eius eiectus fuit, quemadmodum Christus ipse proferat Ioan. 12. *Princeps huius mundi uicietur foras. Et ascensura est de abyſſo, & in infernum ibit.* Quoniam

Quoniam iterum Antichristi tempore regnabit, sed tandem in interitum ibit, quia post mortem Antichristi regnum eius omnino dissipabitur. *Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet, & reges septem sunt.* Hic interpretes aiunt septem capita, septem montes, septem Reges vniuersum esse reproborum principatum & multitudinem, quæ ex Regibus, ac Principibus, subiectisque populis coalescit, & ut ait Richard. per septem status ab initio defluxit. Primus status fuit ab Adam vsque ad Noë. Secundus à Noë vsque ad Abraham. Tertius ab Abraham vsque ad Moysen. Quartus à Moysen vsque ad Dauidem. Quintus à Dauidem vsque ad Christum. Sextus à Christo vsque ad Antichristum. Septimus sub Antichristo vsque ad finem mundi. Itaque per septem Reges omnes Reges horum statuum intelliguntur. Iuxta quam expositionem sequitur: *Quinque ceciderunt, vnus est, & alius nondum venit, cum venerit, oportet illum breuere tempus manere:* quia quinque ex precedentibus septem statibus ante aduentum Christi, & ante tempus huius visionis iam transierant: vnus nunc est, qui à Christo vsque ad Antichristum decurrit: septimus, qui erit tempore Antichristi, nondum venit: sed cum venerit, non multum durabit, quia tribus tantum annis cum dimidio circumscribetur. Bestia, quæ erit, & non est, & ipsa octaua est, & de septem est. Dæmon ipse ab his auctoribus accipitur. De septem est, quia similiter peccat: sed tamen octaua est, quia omnes malitia, astutiæque longè superat. Ad nihil enim, inquit Haymo, appellauit, octaua, quæ septima erit, nisi ut ostenderet, quod septies amplius tunc dominabitur Antichristus, quàm reliqui omnes superiores Tyranni, qui Ecclesiæ raris temporibus fuerunt percuti. *Decem cornua, quæ vidisti, decem reges sunt.* Est sermo, ut vult Richard. de decem illis Regibus toties commemoratis, in quos Antichristi tempore Romanum imperium diuisum erit: qui cum Agno pugnabunt, quia fidem Christi extinguere conabuntur: sed ab Agno tamen vincuntur. *Hi odient fornicariam, & desolatam facient illam.* Odisse hoc loco aiunt communiter interpretes illud significare, quod prædicti Reges fouedo, & adiuuando impiorum multitudinem aduersus Christum eam sempiternis inferorum cruciatibus obnoxiam facient, quod maximum sane odium censeretur debet.

Richardus.  
Septem mundi status.

Bestia octaua cur Dæmon.  
Haymo.

Richardus.

Hæc est communis huius visionis expositio, in qua multa sunt, ad quæ visio quasi inuita, & repugnans trahitur. Primum, quia Ioannes non ita generatim de impiorum multitudine sub istius mulieris, siue Babylonis typo loqui videtur, cum eam peculiaribus quibusdam signis, notisque distinguat, ut ex hoc ipso cap. 17. & sequenti 18. manifestum est: appellatur enim *Babylon illa magna, ciuitas illa fortis.* Est etiam mentio septem montium, ut certam aliquam urbem videatur Angelus designare voluisse. Id quod non obscure significauit Angelus ille, qui mulieris mysterium Ioanni explicauit: sic enim suam de muliere expositionem concludit: *Mulier, quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super Reges terræ.* Deinde, quoniam huius mulieris, siue Babylonis euersio prædicitur cap. 18. futura extremis temporibus ante ipsum mundi finem: siquidem fidelibus dicitur: *Exite de illa populus meus, ut ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis:* & de mercatoribus, qui in ea negotiari solebant, adiungitur: *Mercatores ab ea longè stabunt propter timorem tormentorum eius stantes, ac lugentes:* quod necesse est ad extrema tempora ante ipsum mundi finem, extremumque iudicium referre. Cum igitur multitudo impiorum cessare non debeat ante ipsum iudicij diem, quomodo in illam quadrare potest hæc, quæ à Ioanne prædicitur, Babylonis euersio? Accedit, quod si mulier hæc, siue Babylon esset vniuersa multitudo impiorum, non posset ab illa recedere negotiatores, mercatoresque eius urbis, cum & ipsi quoque in ipsa multitudine impiorum comprehendantur. Porro illud,

III.  
Cur non probetur communis expositio,  
Prima ratio.

Secunda ratio.  
Apo. 18. 4.

Postrema ratio.

quod decem Reges debeant odisse fornicariam, eamque desolatam facere, quomodo quæso cum ista expositione cohæret? Enim vero qui fieri potest, ut decem illi Reges impiissimi odio habere debeant ipsam multitudinem impiorum, cum ipsi, ut fatentur huius expositionis auctores, sint præcipua impiorum pars? Nam quod de spiritali illo odio dicitur, quatenus eam fouendo, & adiuuando addicant cruciatibus sempiternis, alienum planè est, & extortum. Itaque facile est coniecere aliam quamdam accipiendam esse fornicariam, aliamque Babylonem odio habendam ab illis decem Regibus, ab illique funditus excidendam, de qua iam sectione sequenti aggredimur disputare.

Reiecta superiori sententia de muliere sedente super bestiam coccineam, vera, & germana statuitur.

S E C T I O III.

- I. **V**T facile quibus ex superioribus intelliget, ea profectò expositio, quam cõmuniter in hunc locum interpretes afferunt, & nos paulo ante commemorauimus, inuitum ad se, ac repugnantem Ioannem pertrahit: quare aliam excogitare impellimur, quæ contextui congruentior appareat. Igitur cum hæc mulier proprium nomen in fronte scriptum præferat, *Babylon mater fornicationum*, videndum de quanam Babylone sermo sit: Babylonem enim aliquam mysticam accipiendam esse demonstrat vox illa *Mysterium*, quod indicat sub Babylonis nomine mysterium aliquod occultari. Quare existimamus nomine Babylonis Romanam urbem significari in hoc Apocalypsis opere, ubi toties Babylon nominatur. Nam quod Roma Babylonis nomine censeatur, perspicuum est ex 1. Pet. ult. *salutaris vobis Ecclesia, quæ est in Babylone selecta* (sic enim legere possumus, cũ sit Græcè *συνελεκτη*). Quo loco sub typo Babylonis Romam significatam esse docent Tertul. lib. aduersus Iudeos, c. de Natiuitate, Euseb. Cæsar. lib. 2. Eccl. hist. c. 15. Beda in eum locum, & D. Hier. in lib. de viris illustribus, in Marco. Imo hanc ipsam Babylonem, de qua Ioannes hoc capite, aliisque disserit, Romanam urbem interpretatur Tertul. loco citato, & D. Hier. in epist. ad Algaiam, q. 1. & fusè in epist. ad Marcellam, ut commigret Bethlehem. *Lege, inquit, Apocalypsim Ioannis, & quid de muliere purpurata, & scripta in eius fronte blasphemia septem montibus, aquis multis, & Babylonis cantetur exitu, contuere: Exite, inquit Dominus, de illa populus meus, & ne participes sitis delictorum eius: fugite de medio Babyloni. Cecidit enim Babylon magna, & facta est habitatio Demoniorum. Est quidem ibi sancta Ecclesia: sunt trophæa Apostolorum, & Martyrum: est Christi vera confessio: est ab Apostolo prædicata fides, & Gentilitate calcata in sublime se quotidie erigens vocabulum Christianum: sed ipsa ambitio, potentia, magnitudo urbis, videre, & videri, & tantam frequentiam hominum saltem inuitum videre à proposito Monachorum, & quiete aliena sunt.* Ex quibus verbis constat Hieron. de vrbe Roma hanc Apocalypsis Babylonem intellexisse. Cæterum nomen Babylonis non ad eam Romam transferendum est, quæ modo sub Romano Pontifice fidem Christi profitetur: sed ad eam, quæ antequam reciperet fidem Christi, idolis seruebat, & ad eam, quæ erit tempore Antichristi, quam à summo Pontifice Romano, atque adeo à fide defecturam Ioannes hoc capite, & sequenti commemorat.
- II. Existimamus igitur cum Tertull. & D. Hieron. nomine Babylonis hoc Apocalypsis opere, potissimumque hoc capite, & sequenti, nomine etiam mulieris fornicariæ Romanam urbem sub duplici illo statu accipiendam esse, eiusque urbis calamita-

Nomine Ba-  
byloni Ro-  
ma.  
1. Pet. 5. 13.

Tertull.  
Euseb. Cæs.  
Beda.  
D. Hiero.

Roma sub  
quo statu hic  
accipienda.

ealmitatem, & excidium sub Antichristi tempore futurū prænunciati, Deū-  
que memorē tyrannicæ crudelitatis, qua sub Imperatoribus Romanis in Chri-  
stianos Roma delavit, eam per decem Reges omnino eversurū. Et verò Romā  
Ioannes clarissimis argumentis videtur indicasse, cum dixit mulierem sedere  
super septem montes: imo omnia, quæ his capitibus memōrantur, in Romanam  
urbem aptissimè quadrant. *Veni, inquit, ostendam tibi damnationem meretricis ma-*  
*gna, cum qua fornicati sunt Reges terra, & inebriati sunt, qui inhabitant terram, de vino*  
*prostitutionis eius: quia, ut ait D. Leo serm. de Nativit. Apostolorum Petri, & Pauli,*  
*Cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruebat erroribus: & magnam*  
*sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem. Vnde omnium*  
*Deorum superstitionibus imbuta quasi meretrix prostituta vniuersis populis*  
*sedebat. Dicitur circumdata purpura, & coecino, inaurata auro, lapide pretioso,*  
*& margaritis, propter summam opum abundantiam, atque in victu, vestitu, re-*  
*būisque omnibus usum incredibilem. Habet poculum aureum in manu plenū*  
*abominatione, & in munditia fornicationum: quoniam omnibus gentibus, qui-*  
*bus imperabat, idolatriam suam, falsorumque deorum, quos colebat, supersti-*  
*tiones impurissimas sub specie religionis quasi poculum aureum, propinabat.*

Roma idolo-  
latra qua  
fuerit.

D. Leo.

Quæ verò sequuntur in interpretatione, quam Angelus adhibuit, sic habet. III.

*Bestia, quam vidisti, fuit, & non est: ascensura est de abyssis, & in interitum ibit. Eodē modo*  
*exponenda sunt, quo sectione præcedenti iuxta communem expositionem. Se-*  
*ptem capita septem montes sunt, videlicet Palatinus, Quirinalis, Aventinus, Cælius,*  
*Viminalis, Esquilinus, Ianicularis. Et reges septem sunt: nimirum docet Angelus*  
*per septem capita bestie, super quam mulier sedet, (ad bestiam capita bestie, super*  
*quam mulier sedet, (ad bestiam enim referenda*  
*sunt ipsa capita, non ad mulierem, quemadmodum & illud, Plena nominibus blas-*  
*phemia, ut patet ex Græco contextu, cum Græcè habeatur ἑξῶν, neutro genere,*  
*quod cum Græco ἑξῶν consentit: nam si ad mulierem spectaret, dicendū foret,*  
*ἑξῶν) docet, inquam, Angelus per septem capita bestie non solum septem*  
*montes, sed septem etiam Reges accipiendos esse. Qui verò nam illi sint, statim*  
*exponit: Quinque, inquit, ceciderunt, vnus est, & alius nondum venit. Non placet nobis*  
*sententia Marij Victorini Episcopi exilimatis quinque Reges, qui ceciderunt,*  
*esse illos Imperatores Romanos, qui post Neronem vsque ad tempus, quo Ioā-*  
*nes hæc scribebat, imperarunt, videlicet Vespasianum, Titum, Galbam, Otho-*  
*nem, Vitellium: tum verò cum dicitur, vnus, intelligi Domitianum, qui eo tem-*  
*porē imperabat: cum verò, qui nondum venit, esse Neruam, qui Domitiano suc-*  
*cessit, qui quoniam non integro biennio imperium tenuit, idcirco subiungi: Et*  
*cum venere: oportet illum breue tempus manere. Non placet, inquam, hæc Victorini*  
*expositio, quoniam Ioannes paulò post loquēs de Antichristo facit illum vnum*  
*de septem istis Regibus: inter Neruam autem, & Anichristum quamplurimi*  
*Romani Imperatores interiecti sunt. Nec multum in istis credendum est Victo-*  
*rino, quippe qui in eo errore fuit, ut putauerit Neronem in fine mundi à mor-*  
*tuis excitandum, ipsūque fore Antichristum. Quocirca rectius dicemus per*  
*septem istos Reges, septem mundi status intelligendos esse, ut aiebat communis*  
*opinio, quæ in hac re nobis probatur, primum ab Adā vsque ad Noë, secundum*  
*à Noë vsque ad Abraham, tertium ad Abraham vsque ad Moysen, quartum à*  
*Moysen vsque ad Dauidē, quintum à Dauidē vsque ad Christum, sextum à Chri-*  
*sto vsque ad Antichristum, septimum ab Antichristo vsque ad finem mundi.*

Septem mon-  
tes Roma.

Marij de 7.

Regibus ex-  
positione non  
probatur.

Probatur cō-  
munis de 7.  
status.

Itaque septem Reges significant septem numeratos status, in quibus varij  
Principes, & Reges Dei famulos diuexarunt: præcipuè verò posterioribus

III.



temporibus Ecclesiam à Christo fundatam variis persecutionibus opprēssit. Tum verò rectè subiungitur: *Quinque ceciderunt*: quoniam quinque iam status, quo tempore hæc Ioannes mandabat literis, præterierant. *Vnus est*, hoc est, vnus adhuc durat à Christo vsque ad Antichristum decurrens. *Alius nondum venit*, id est, postremus sub Antichristo. *Et cum venerit, oportet illum breue tempus manere*: quoniam

*Dæmonis in Ecclesiam odium inuenit.*

niam tribus tantum annis cum dimidio imperabit. *Bestia, qua erat, & non est, de septem est, & ipsa octaua est*, hoc est, Dæmon (is enim per bestiam intelligitur) de septem est, quia ipse in omnibus superioribus Tyrannis, & Ecclesiam persecutoribus tantquam in membro præcipuo aduersus eandem dimicabit. Et nihilominus octaua est, quia verè Dæmon ab aliis omnibus Regibus diuersus est, & quasi eorum

*Decem Regum imperium.*

comparatione octauus Ecclesiam infensissimus hostis. *Decem cornua, qua vidisti, decem Reges sunt*. Intelliguntur illi decem Reges, in quos diximus tractatu de Antichristo diuidendum fore imperium Romanum, & totius orbis principatum.

*Varia lectio*

*Qui potestatem tanquam Reges vna hora accipient post bestiam*. Siue legamus *bestiam*, vt habet nostra editio: siue *cum bestia*, vt legunt Biblia Complut. Andr. Cal. Arethas, & Primas. idem sensus efficitur. Accipiunt enim regnum *cum bestia*, id est, tempore Antichristi: vel *post bestiam*: scilicet gradientes, quasi ipsam vt famuli sequantur, eique obtemperant. Quod dicitur, *vna hora*, significat exiguo tempore regnatos.

V. *Hi cum Agno pugnabunt*, quoniam simul cum Antichristo bellum difficillimū Ecclesiam inferent, fidelesque vbique insecrabitur. *Hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt*. Recolenda sunt, quæ in tractatu de Antichristo diximus de decem Regibus, qui orbis imperium obtinebunt, cum Antichristus aduenerit: ex quibus Antichristus tres bello profligatos trucidabit: septem reliquos sibi vltro obtemperantes in societatem admittet. Cum ergo hoc loco Angelus Ioanni prænuntiet fore, vt hi decem Reges odio habeant fornicariam, eamque e mmino euertant, & incendiant: manifestè colligitur paulò ante, quàm Antichristus adueniat, vel saltem ad initium eius imperij Romanam urbem ab his decem Regibus euersum, & concrematum iri: siquidem cum Antichristus imperauerit, non futuri sunt decem Reges, sed septem. Quoniam verò hæc Romana urbis euersio, & incendium debet ex Diuina iusticia proficisci, quæ de vrbe illa, vbi tanta vis sanguinis Martyrum sub Imperatoribus Romanis effusa est, extremis temporibus poenas iustissimè exposcet, idcirco additur: *Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant, quod placitum est illi, scilicet Antichristo: vt dent regnum suum bestia, donec consummentur verba Dei*. Etenim vt omnes aduersus Romanam urbem conspirent, permittet Deus, *Vt dent regnum suum bestia*, id est, potestatem suam Dæmoni committant ad persecutionem fidelium: & ita consummentur, hoc est, impleantur Diuinæ predicationes de extremorum temporum acerbitate. Denique, vt intelligeremus sermonem esse de Romana vrbe, concludit Angelus: *Et mulier, quam vidisti, est ciuitas magna, qua habet regnum super reges terra*. Etenim tempore, quo hæc Ioanni monstrabatur, Romana urbs penè omnibus Regibus terræ imperabat. Hæc in genere de Romana urbis incendio, & euersione dicta sunt, quæ sequenti capite adhuc magis explicantur.

*Romana urbis euersio, quo tempore futura.*